

Q. 14, 40^a T H E S E S

DE COCHLEA-
TIONE EIVSQVE
VENENOS A CONTAGIO-

ne, & multiplicibus speciebus,
quas sub præside

H A S I O N E L E F L E R O
Narragonensi.

Pro priuato & domestico exer-
cizio suis, defendet

V O L V C R I N I A L E P I -
da Stutzerensis;

*In Collegij huius facultatis penetra-
libus, in frequentia utriusq;
sexus.*

Calendis Temporis præsentis,
præteriti & futuri,
M. D. X C I I I.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

124
II h
268







N superiore disputatione de Hasiōe eiusq; speciebus à nobis proposita, satis superq; examinata, inter reliqua de Hasiōibus Venereis & Amatorijs, hoc est, de Cochleatoribus pauca quædam diximus, sed cum in genere scire, secundum Aristotelem, conuuiam tantum pariat cognitionem, & cochleatores nolint confusam habere virginum cognitionem, operæ pretium duximus, specialius de vnica illa specie hoc tempore agere, vt specialior fiat Hasiōnum illarum specialium speculatio: Cum pulcrum sit digito monstrari & dici, Hic est, scilicet non vnus tantum magnus hasio, sed & insignis cochleator: Et non minus pulcrum sit monstrari & dici, Hæc est vna magna hasibilis cochleatrix.

II.

Bene autem intelligendum est, quod nunc cochleatio non amplius sit symptoma Hasibilitatis, sed quod Hasibilitas sit vel genus, vel symptoma saltem cochleationis, quod non est mirum, cum medicis notum sit, diuerso respectu idem symptoma & morbum principalem esse posse, non secus sicut aliquis diuerso respectu Hasio, *Leimstenglerus*, & Cochleator simul esse potest, vt etiam Puellæ simul virgines cochleatrices, meretrices, *Leimstengletrices* esse possunt, siquidem nomina omnia in I X. sunt generis fœminini, & vtrumq; sit Accusahasiui casus.

III.

Quod verò vocabulum cochleationis significat, ex gemma gemmarum virginum, & ex Lexicis & Calepino Ancillarum peti poterit, quæ deriuant illud nomen ex cochlearibus, quod nempe ñ, qui hac qualitate vel morbo affecti sint, tam libenter lingant virgines, quam famelicus offam & cochlearibus, quod nempe ñ, qui hac qualitate vel morbo affecti sint, tam libenter lingant virgines, quam famelicus offam & cochlearia, vnde postea hi ægroti cochleatores, Germanicè *Lefflers* vocantur, quadratq; in eos prouerbium, *Lecker aus der Küchen*.

IIII.

Alij sunt in ea sententia, quod nomen cochleationis ortum sit ex pompa (visa mihi digna relatu) nempe, quod tali cuidam socio ancilla vel virgo (ancillæ enim virgines non sunt) cochlear quoddam clanculariè vestibus appenderit, & pileo affixerit, eodem modo vt virgini antica pars caligarum adolescentis ap-

penſa fuit) vnde poſtea hæc fabula omnibus cochleatoribus no-
men hoc à cochlearibus fecerit, vt adhuc hodie ſic vocentur iux-
ta verſum

Semper onos nomenq; ſuum Leporesq; manebunt.

V.

Sed vt ad rem perueniamus. Quid Cochleatio ſit, quæritur
amplius, nam licet conſtet ex ſuperiore Haſionis diſputatione,
quod morbus ſit, tamen quia hi cochleatores nolunt credere, ſe
morbo laborare, creditur, quod non ſit morbus, ſed contra illos
ſciendum eſt, quod licet illi hoc neſciant, nihilo minus tamen
eſſe: nam ſicut maxima fatuitas eſt, cum quis ſe fatuum ignorat,
ita maximus morbus eſt, qui ignoratur.

VI.

Eſt ergò cochleatio non tantum morbus, verum etiam ve-
nenum, dulce primum, poſtea amarum, in vtroq; genere, maſcu-
lino & fœminino, in optatiuo & coniunctiuo modo, ſerpens pri-
mum ex oculis in oculos, ex ore in os, ex lingua in linguam, ex
manibus in collum & brachia, ex carne in ſpiritum febriliter, sæ-
pè etiam in abyſſum carnis peſtentialiter, omnes venas in toto
corpore humano occupat.

VII.

Dicimus autem cochleationem venenum, quod tam conta-
gioſè ſerpat & propagetur, maximè, ex conuerſatione vtriuſq;
ſexus, non ſecus vt in peſte contagioſa venenum propagatur,
ſæpè tantum ex ipſo viſu, non ſecus ac ſi virgines eſſent baſilisci,
quæ viſu ſuo adoleſcentes inficiant, aut contra etiam adoleſcen-
tibus inficiantur, vt mutua hæc cochleatio merè ex conuerſatio-
ne venenoſè propagetur, & in venas neruoſq; deriuetur.

VIII.

Sicut autem multæ ſunt in corpore venæ & nerui, ſic quoq;
ſunt multæ figuræ & modi cochleandi, ſecundum variationem
locorum affectorum, vt quiuis facile intelligit, quarum prima
quæ ſit ex oculis, & neruos viſiuos occupat, vt adoleſcentes &
puellæ in Optatiuo modo, qui in Spiritu, & ex oculis cochlean-
tur, vnde ſit, vt puellæ per totum diem propè fenestram ſedeant,
vt ſartorum ſerui, & expectent adoleſcentes præteuntes.

IX.

Non

Non autem ex æquo expectant & spectant, sed cum cochleario ratione termini, non tantum sit in quinta specie qualitatis, sed & in Prædicamento Relationis, correlatiuum suum cochleantem, quem *Juncterum* / si Dñs placet, vocant, maximopere & sitienter expectant. Qui si præterit, non directè in fenestram faciem vertit, sed acutos, & obliquos facit oculorum angulos, vt & illam suam correlatiuam videat, & alius non animaduertat.

X.

Et hoc non interdium sit, sed & noctu, tunc enim illa, domo clausa, iacet in fenestra superioris contignationis ianua tali signo ♀ notata, hic verò ante fores musica, alijsq; instrumentis exhibet ei chorum, & canit illud Orlandi, Surge, propera. Item, *Ich kan schleichen Steh auff vnd lass mich ein.* Si hæc præ parentibus operire non audet, flet in illam musicam O suavis musica, In fine videbitur cuius toni.

XI.

Sæpè etiam in templo certas sibi stationes describunt, vt alter alteram, aut altera alterum videre possit, & inde fit, vt nullam negligent concionem, qua non templum frequentent. Non propter Lazarum, sed propter Martham.

XII.

In hac figura videas oculorum nutus frequentissimos, tersiones oris, motiones capitis, & pectoris, quæ gemitum præ se ferunt, screatus, tusses breues, ehum, ehum, gesticulationes manuum, risus leuiculos, Sic tamen ne rusticus intelligat, ostensiones munusculorum, corollarum, annulorum, libellorum aureorum, amicularum, strophilorum, pomorum rubrorum, & id genus alia, Idem factitant in nuptiis & choreis, maximè si alius cum alia, non cum propria correlatiua coniungatur.

XIII.

Ex oculis aliquando, non semper tamen descendit hoc venenum in alias partes corporis, nimirum si ex optatiuo modo deriuetur in coniunctiuum, cuius deriuationis ratio prius nobis explicanda est, quam doceatur, quomodo in alias partes venenum hoc descendat.

XIIII.

Sunt autem deriuationis huius, vt coniungantur, casus varij

A 3

Quidam

Quidam enim adolescentes cum volunt non tantum oculis & spiritu, sed coniunctim enter & præfenter cochleare, & virginibus coniungi, mittunt aliquando famulos, per quos quærunt, anne viam & cereuisia ibi sit venalis: si sit, non opus est multis ambagibus, si non sit, quærunt proximam vicinam domum, & virgines accersunt, imò quæ non inuitæ eò veniunt, ibi quid agant, postea docebitur.

XV.

Virgines verò ancillâs suas mittunt, per quas fingunt peregrinas eò venisse literas, quas ipse auferat, ne decipiatur à tabellario. Haud rarò etiam inuicem sibi literas scribunt, & extra portas in hortum, aut alias peregrinas domos se vocant,

XVI.

Translationis Epistolarum miri sunt modi: nam aliquando virgines complicant litteras in modum spiræ, & super hanc spiram flectunt & ligant flores in modum coronæ, quam postea adolescentibus mittunt, vnde mens illorum mutuò patefiat; videte quæso, nõne hac fallacia munitiones & vrbes prodi possunt? Res hæc verè acta est.

XVII.

Sæpè folium Chartæ lusoriæ mittunt, numerorum octo, aut nouem, quod significat adolescentes debere venire vesperi circa horam octauam aut nonam, quod non tantum puellæ, sed fæmellæ etiam faciunt, nimirum cum maritus non est domi, aut cum fessus socius dormit sicut piger Epimenides. Ratio est, quia, cur etiam non est alacris & fortis in bello.

XVIII.

Cum ergò iam deriuantur in coniunctiuum modum, tunc primò venenum illud contagiosum se exerit, & linguam occupat, vt nihil aliud ibi audiatur, quam meum corculum, meum suauium, mea columba, mea gallina (quia debet excludere oua) imò totum sensum gustus perdit & accendit, vnde fit oris ad os combinatio, labiorum lambatio, vel linctura, linguæ cum lingua refrigeratio, & manuum in partes corporis varias insinuatio.

XIX,

Aut si hoc nondum licet, nimirum si adhuc lupo quidam
fit

sit in fabula, tunc saltem sit manuum datio, leuiuscula lateris ad
latus compressio, titillatio, pedum contactus, genuum ad genua
si fieri potest, applicatio, oculorum nutus, arrisio.

XX.

Videmus etiam quod non rarò cum lapillis & putaminibus
nucum, iaculationes intendant, & petant se mutuo pomis, iuxta
illud, Malo me Galathea petit lasciuia puella, Et fugit ad salices,
& se cupit ante videri.

XXI.

Donec tandem lupo, qui adfuit, absit, & tunc sequuntur,
quæ thesi XVIII descripsimus, & præterea insinuat se vene-
num in omnes venas totius corporis: In Cephalicam primum,
& caput vtrinque ita dementat, vt videntes non videant, & au-
dientes non audiant, & cum ament Ranam, ranam putent esse
Dianam, & cum putent Amorem cadere super folium Rosæ, ca-
dit super folium, quod ex vacca prolapsum est. Quæ stupefa-
ctio sensum inde oritur, quia omnes spiritus visuos & auditori-
os venenum summo suo frigore constipat, vt fiant tanquam sti-
pites: aut summo calore exsiccat & absumit: Vtrumque enim in
hoc veneno est, calor & frigus, in quarto scilicet gradu.

XXII.

Sæpè in humerariam axillarum & interiorum cubiti venam,
quæ Hepatica dicitur, venenum hoc collabitur, & hinc homines
ab amplexu humerorum & cubitorum non possunt iterum di-
uelli: fortè quod fiant in venis & nervis contracti, vt tam curua
brachia semel collis iniecta, iterum non possint rectificare.

XXIII.

Non secus sicut illi, qui in combinatione oris iuncti, dis-
iungi iterum nequeunt, cum nimirum cutis labiorum exsicce-
tur, & corrugetur, non secus sicut crumena vetularum, vt labra ite-
rum planari nequeant: imò vt sæpè cutis ex tot osculationibus
abradatur & perfricetur. His postea peculiare vnguentum
pro labris præparandum est. Sed de curatione huius morbi suo
tempore.

X XIII.

Rarissime fit, vt hoc venenum in Cardiacam seu cordialem venam cadat, quia si hoc fit, tunc fit lethale: itaq; maximè frequenter manet tantum in superficie Epatis & brachijs in exterioribus venis, membranisque oris & linguæ, iuxta illud, Amo te quidem, sed non vt ducam: & verba puellarum folijs leuora caducis.

XXV.

Fit tamen aliquando vt in cardiacam cadat, sed tunc est magnum periculum, quia inde deriuatur venenum in adolescentibus in ramum alicuius venæ ferè medianæ, in qua excitat spiritus, & inflammat, vlcusq; excitat purulentum, à quo nisi caueant sibi correlatiuæ cochleatrices, statim in magnas cadunt passiones, acquiruntq; innumeros morbos complicatos, vt tumorem & obstructionem, quæ postea vitæ & mortis periculum inducunt.

XXVI.

Et hæc species est pestilentialis, cum nimirum venenum, vt in definitione diximus, ex carne in spiritus, ex spiritibus in abyssum carnis prolabitur, quam vt omnes diligenter fugiatis, admonendi estis.

XXVII.

In hanc formam cadant illæ foeminae, quæ adolescentes domos & hortos suos semper frequentare iubent, & subiiciunt consilia, quomodo nimirum illud occultare & excusare possint, nimirum iubent chartam, & pennas secum portare, vt videantur populo aliquid scribere: & reuera sic se res habet, quia scribunt illi Socin, non tamen in charta, sed palimpsesto literas, vt vocant, versalicas, seu magnas, quas ad viuum, iuxta exemplaria artificis, sic exprimunt, vt nihil habeas quod improbes suo tempore.

XXVIII.

Nunc aliquid adhuc arcanum & secretum de Natura huius veneni explicabo: Aliquando hoc venenum non est contagiosum & non egreditur ægrotum, sed manet in vno subiecto. Et hæc cochleatio spuria est, & impropriè sic dicta.

Quæris,

XXIX.

Queris, quando hoc fiat: & in quibus? In virginibus æque in adolescentibus: Sunt enim adolescentes qui vxorem ducere volentes, omnes virgines ex æquo contemnunt, nulla est tam pulcra, tam elegans, tam benè constituta, quin illi habeant, quod in illis vituperent, & iubent sibi pingi vnã, ad cuius similitudinem si non aliquam inueniunt in se venenum hoc retorque-
tur.

XXX.

Eiusdem farinae sunt quoq; virgines, quæ licet sint maturæ, vt neces, non possunt tamen vllum inuenire adolescentem, qui vel incessu, vel barba, vel oculis, vel naso, vel genis, situq; corporis illis non improbetur, quos Vexant, deludunt, sic tamen, vt dum vexent, & deludant, vexentur ipsæ, & deludant se-
ipsas.

XXXI.

Fit enim vt cum diu elegerint, postea negligantur, & ma-
neant, quæ sunt, senescant, fiant pecora campi, obscura capita,
quæ tandem Dñs agant gratias, si vel claudum vulcanum, vel Sa-
turnum, vel Æsopum aliquem accipiant apud manum: Dignum
scilicet patella operculum.

XXXII.

Sic vbi venenum in eodem subiecto permanet, incipiunt
sibi solis placere. Et adolescentes emunt magna specula, magnos
pectines, strigiles, miseramq; suam barbã, & capillos pectunt,
repectant, tondunt, retondunt, capillos apud aures, & in fron-
te crispant, collaria iam sic, iam aliter corrugant, pileos purgant,
repurgant, & diuersimodè collocant, & seipsos non secus ac fe-
les lingunt.

XXXIII.

Idem faciunt virgines, nisi quod illis barba oralis nego-
cium nullum facessat: illæ emunt viscosas strigiles, genas pin-
gunt fucis, orant ad specula nouo pietatis cultu, nempe cum in
libris precationum habeant specula in quibus suam imagun-
culam speculantur, & ex toto corde adorant, & inuocant
seipsas

seipfas, liquidem se Deas, Veneres, Iunones & Helenas esse præ-
sumunt,

XXXIV.

Quæ hæc specula secum non habent, illæ cum volunt do-
mo exire, ante speculum componunt os semel & postea vel non
vel vix id ipsum iterum aperiunt, ne plicas istius compositionis
corrumpant, & de nouo iterum sic componere nequeant.

XXXV.

Et hæc cochleationis species contemnenda non est, cum
multa viderimus exempla, quæ hac impropria cochleatione tan-
dem ad propriè sic dictam cochleationem peruenerint: Est enim
Parasceue ad sequentem scenam,

XXXVI.

Redeamus nunc ad superiorem propriè sic dictam cochlea-
tionem iuter vtrumq; sexum, & quædam cochleantium distin-
ctiones doceamus, quæ sunt, quod quidam cochleatores sint fe-
lices, quidam infelices, vt exempli gratia, qui volunt puellis stro-
phiola abripere, & illis inuitis discindunt. Et qui puellas inuitas
volunt super braccas & genua collocare & inuitas alijs modis
familiater tractare, & qui quando non possunt cum virgine
cochleare, cum ancilla cochleant. Illi enim in hoc Donato coch-
leationis, suum Felix non bene didicerunt, iuxta illud: Amare
& non amari, siue non gustare, facit Diabolum murmurare. Et
hi possunt etiam hebetes dici, ad differentiam aliorum, qui acres
dicuntur.

XXXVII.

Est ad huc noua distinctio, quam benè notate, quæ inseruit
ad dignoscendos Tyrunculos ab artificibus, nam quando qui-
dam vix veniunt ex schola A. b. c. daria, statim tam hasibilibiter
discurrunt, vt hac peste inficianentur, & postea se tam ineptos præ-
bent, vt dici nequeat: Hi nondum sunt lepores, sed cuniculi in ha-
sibilitate: in cochleatione verò sunt cochleatores in fedecimo:
Artifices verò veterani cochleatores sunt in folio: Intermedij
sunt in quarto & octauo.

XXXVIII.

Id verò æquè in adolescentibus ac puellis, contingit, in qui-
bus

*54
Cui volunt
puellis stro-
phiola abri-
pere. S. D.
volunt ven-
m de hinc d.
S. D. S. D.
S. D. S. D.
S. D. S. D.
S. D. S. D.*

bus etiam sunt quædam in folio cochleatrices, quæ non tantum
vnum, sed vel decem correlatiua seu **Juncferos** habere possunt,
& eos mirum in modum tractare, vnum vexare, pedibus calcan-
do alterum, manus dando, tertium arridendo. Non minus etiam
inter eas sunt quædam in sedecimo, quæ, vbi vix cunas egressæ
sunt, nondumq; acum vel colum tractare dicerunt, statim di-
scunt se iuuenibus agglutinare, quia vrit maturè, quod vult etne
sure manere; & A teneris assuescere multum est. Intermediæ
sunt in quarto & octauo.

XXXIX.

Tandem dicenda sunt prognostica illius morbi signa, seu
veneni illius effecta: Sunt autem ea, pecuniæ emunctio, & fe-
bris in crumena, quia, qui vult cochleare, debet pecunifare. De-
bet enim dare amiculas, catenas, pallia, monilia, & huiusmodi
alia: Virgines pileorum spiras, strophiola, coronas, &c. Item
Riualitas, si pulcra: Si deformis, crux & explosio. Item, plan-
ctus & luctus. Nam quando adolescentes abeunt, vt hanc vene-
ni contagionem vitent, oritur luctus, & stridor dentium, fletus,
eiulatus, & sic corbisatio, de qua fortè aliàs plura. Item succes-
sio alterius post amissionem vnus. Nam successore nouo, tolli-
tur omnis amans.

XXX X.

Symptomata sunt omnes eæ affectiones, quæ in Haibili
qualitate accidere dicta sunt.

XXX XI.

Signa sunt magnum oculorum albumen, gyratio eorun-
dem, frequens pallor, gemitus profundi, annuli duplicium ma-
nuum, aut corculi transfixi signa gerentes. Tremor venæ ferè
medianæ, & reliquæ phantasie, quæ thesi XII. supra recitata
sunt. Plura vel qui ipse cochleator est, vel cochleantium, assi-
duus comes, & spectator est, obseruare poterit. Interim caueat
tamen, ne illa contagione simul spectando corripiatur, iuxta il-
lud, Qui claudo cohabitatur, claudicare discit. Et, qui picem tan-
git, inquinabitur ab ea.

Corol.

83.
Cui vult cochleare
de eorum pecu-
nifare.
Corbisatio
falsè dicitur
Rubi
Successore nouo tollitur amans
San. magis
in libro

Corollaria,

1. **A**N omnis cochleatio sit parasceue ad sequentem scenam nuptiarum, coniunctionis & oppositionis? Negantur.
2. Vter sexus, masculus an fæmineus, fertilior & maturior sit ad cochleandum. Respondetur, pro sexu fæmineo.
3. An rusticorum serui cum ancillis rusticis dicantur etiam cochleare? Respondetur, Quod non, quia rusticus venter non gignit sensum tenuem, sed crassum.
4. An vna actio cochleationis faciat habitum? Affirmatur; contra omnes Logicos.
5. An cochleatio fieri possit in instanti? Affirmatur contra omnes Physicos.
6. An in sistemate cantus cochleatorij, ex amaro & dulci fiat bona harmonia? Affirmatur, quia repercussio in tertio & quarto modo est A Mi in La mi.
7. Vter numerus in cochleatione sit perfectior? Respondetur, Binarius contra Arithmeticos, qui dicunt numerum denarium esse perfectissimum.

F I N I S.



H E S E S
 D O C H L E A =
 E I V S Q V E
 A C O N T A G I O -
 licibus speciebus,
 ub præside
 E L E F L E R O
 ragonensi.
 & domestico exer
 nis, defendet
 I N I A L E P I -
 tzerensis ;
 e facultatis penetra
 quentia utriusq
 xus ,
 mporis præsentis ,
 ti & futuri,
 . X C I I I .
 I B L I O T H E C A
 N I C K A V I A N A

124
 II h
 268

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
 HALLE
 (SAALE)

